

Petrus de Vinea

*Ep. V 33 (Processus Pisanorum
intolerabiles et enormes...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 33 (Processus Pisanorum
intolerabiles et enormes...)*

1247-1248

Vt moneantur Pisani, quod desistant a molestiis regnicolarum.

1. Processus Pisanorum intolerabiles et enormes, qui fideles nostros regnicolas securitatis nostrae litteras deferentes, in Regno grauiter persequuntur, prout nuper per litteras C. de..., iustitarii in Sycilia citra flumen Salsum, fidelis nostri, culmini nostro transmissas, accepimus, fidelitati tuae preuidimus reseruandas, ut per te in regione ipsa, presente Consilio ciuitatis Pisanorum, nostris fidelibus, debeant explicari. 2. Propter quod fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus insolentias in dictis litteris comprehensas, illatas nostris fidelibus, ut est dictum, in Consilio predicto proponens, ex parte culminis nostri requiras Potestatem et Consilium ciuitatis predictae, quod Pisanos nauigantes sic de cetero studeant cohibere, quod contra regnicolas in Regno uel alibi aliquatenus de cetero non insurgant; nec eis in personis aut rebus molestias inferre presumant. 3. Si enim Pisani predicti, quod non credimus, ab eorum insolentiis non cesserent, maiestatem nostram non deceret eorum excessus ulterius tolerare.